

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1064

1062

1068

1058

1073

1053

1113

1013

0963

0563

0063

Ende

Anfang

491

incipientes a senioribus, et sacras reliquias deosculati sunt eo modo, sicut abbas. Post monachos accessimus nos peregrini et secundum ordinem consuetum sacras reliquias venerati sumus, post nos vero asinarii nostri idem fecerunt. Hoc facto nobiles nostri omnia sua jocalia aurea et argentea mihi dederunt, ut ea ad sacras reliquias applicarem. Accepi ergo jocalia mihi in Ulma a caris meis credita et dominorum militum sociorum meorum et singula in sarcophagum posui, applicans ad testam sacri capitatis virginis eximiae. De ista applicatione clenodiorum vide, si placet, P. 1. Fol. 36 A. Verum dum haec agerem, pater monasterii, qui adstabat, numquam oculos a me avertit et diligentissime in manus mihi adsperxit, ne quid tolleretur de reliquiis, multa enim sunt ablata transactis temporibus per peregrinos furto et per preces imperatorum, episcoporum et regum multa data ita, quod minor pars corporis sacri remansit (b). Nunc certiores facti bene custodiunt propter fures et nec propter preces nec propter pretia aliquid dant, cum doleant, se tantum dedissem, cum adhuc potior pars est ibi, caput scilicet sacrae virginis integrum, corona aurea pluribus gemmis adornata expresso signo sanctitatis cunctum et manus sinistra, cujus digitus sunt pretiosissimis annulis repleti cum insertis gemmis. Alia manus est in partibus Georgiae, ut dixerunt nobis monachi, quam Rhodiani se habere gloriantur, quam et peregrinis ostendunt. De costis et tibiis et aliis articulis multis corporis sacrae virginis vidimus in tumba. Videntur autem ossa sacra in oleo jacuisse, quia non sunt alba, sed illius coloris, quem os aut lignum contrahit jacens in oleo, quo quondam, ut sacra ecclesia tenet, membra virginis resudabant, nunc autem miraculo dum cessante jacent membra sacra in bombyce, de qua bombyce loco olei datur peregrinis, quam intingunt lampadibus pendentibus in capella sanctae Mariae ad Rubum, sicque ad partes deferunt pro oleo sanctae Catharinae. Ego habui vitreolum parvum, quod eodem oleo implevi et multum de lana intinxii; nihilominus compertum habetur, oleum illud ex praedicto loco sumtum esse multum salubre simul cum bombyce habitum. Ultimo dum pater monasterii aream virginis vellet recludere, annuimus, ut adhuc paululum sineret apertam, et

